prorsus simillima ambo deserta secuti · uictu frui uestitu inculto cinctu despecti ; Ambo regis et reginae iracundiam tolerant ; Ille ad iordanem caelo positurus diuisit · hic lauacrum salutare · quo caelum petatur conuertit ; hic cum dn̄o uersatur in terris · ille cum eo manifestatur in gloria ;

UT CONUERTAT CORDA PATRUM IN FILIOS ET INCREDIBILES AD PRUDENTIAM IUSTORŪ · PARARE DNO PLEBEM PERFECTAM

Corda patrum in filios conuertere est · spiritalem scientiam antiquorum sanctorum populis praedicando infundere ; Prudentia uero iustorum est non de legis operibus iustitiam praesumere · sed ex fide salutem quaerere ut qui uiuunt in lege posita legis iussa perficiunt · Gratia se tamen dī per xp̄m saluandos intellegant ; Iustus enim ex fide uiuit ; et potius de iugo legis ait ; Quod neque patres nostri neque nos portare potuimus · sed per gratiam dn̄i ih̄u credimus saluari quemadmodum et illi ; Qua prudentia quia adiuuntur increduli et per iohannem imbuti et per heliam sunt inbuendi · Recte haec sententia super quae per angelum de iohanne dicta est · Isisdem pene syllabis ÷ de helia per malachiam praedicta · parare inquid dn̄o plebem perfectam · Quia enim zachariam pro plebe supplicantem dixerat exauditum · docet quo ordine plebs eadem saluari et perfici debeat ; Ad praedicationem uidelicet iohannis poenitendo et credendo in xp̄m

ET DIXIT ZACHARIAS AD ANGELUM UNDE HOC SCIAM EGO ENIM SENEX ET UXOR MEA PROCESSIT IN DIEBUS SUIS

Ob altitudinem promissorum haesitans · signum quo credere ualeat inquirit · cui sola angeli uisio et adlocutio pro signo sufficere debuerat · Unde merito diffidentiae tacendo poenam luit · cui et taciturnitas eadem et signum fidei quod quaesiuit et infidelitatis est poena quam meruit

ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI EGO SUM GABRIHEL QUIA STO ANTE DM̄ ET MISSUS SUM LOQUI AD TE ET HAEC TIBI EUANGELIZARE ET ECCE ERIS TACENS ET NON POTERIS LOQUI USQUE IN DIEM QUO HAEC FIANT PRO EO QUOD N̄

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_270_f127v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5276)